

densum de spiritu christiano et catholico, modo adjuvetur a Marianopolitano et Halifaxiensi, quod et concessum est.

Excellentia Sua Reverendissima exponit Patribus epistolam et commentarium annexum missum singulis episcopis Concilii a Societate vel concilio Canadensi ad reformandos mores civium et societatis "The moral and social reform Council of Canada" quo commentario Patres invitantur ut una dicta societate conspirent ad plura sancienda legibus quæ ad eam morum emendationem socialisque convictus pertinet. Lecta epistola Domini Shearer cum annexo commentario proponit Peterboroughensis, favente Chathamensi, ut epistola commentariusque tradantur commissioni "ad novas materias". Verum Campivallensis, favente Torontino, primam propositionem emendans, postulat ut epistola Domini Shearer relinquatur deposita in tabula Concilii quod britannico usu significat "prætermittatur" seu "ignoretur" singulis episcopis remanente libertate integra respondendi quod sibi cuique placuerit, et major Patrum numerus huic emendationi favet.

Proponente Joliettensi, statuitur ut prælo cusæ dentur synodalibus omnibus variæ conciones Excellentiae Suae Reverendissimæ tum ad Patres Concilii tum ad congregationes synodales.

Proponit idem Joliettensis, favente Archiepiscopo Sancti-Bonifacii, ut commissioni "ad novas materias" tradatur delineatio postulationis offerendæ Gubernio Fœderali ut lege puniantur conjuges qui concubitatum notorium agunt. Assensere omnes.

Monet Excellentissimus Præses cogi nos decreti *Ne temere* ut plura mutemus in quibusdam decretis de re sacramentaria.

Torontinus legit significationem fidelitatis mittendam telegrapho Suae Majestati Regi et Imperatori Eduardo septimo, quæ plene approbatur, adjectis, petente Campivallensi, paucibus vocibus quibus indicatur Patres pro rege orare.

Proponente Marianopolitano, nulle scutata conceduntur suffragio Patrum Reverendissimo Domino Aloysio-Adulpho Paquet, qui schemata Concilii digessit et exaravit ut pignus grati animi erga venerandum Prælatum qui immane quantum meruit de præsentis Concilio.

Proponente eodem Antistite Marianopolitano præside "judi-